

- Concilii subsequencia in eodem c. (Si verò in eodem delicto perseverantes, secundæ monitioni adhuc non parverint &c.) quasi ad primam pœnam, nempe ad privationem tertix partis fructuum unica sufficiat monitio, ad secundam autem pœnam nempe, ut suspendatur ab administratione beneficii, & privetur omnibus fructibus, secunda requirit monitio, nam nomine secundæ monitionis, intelligitur de secunda vice delicti ad puniendum, *Garzias de Benef. p. xi. c. x. num. 186.*, *Vers. Nona pœna*, itaut prima vice præmissis tribus monitionibus, prima pœna puniatur, secunda vice præmissis adhuc tribus monitionibus, secunda pœna puniatur, & tertia vice præmissis tribus monitionibus, tertia pœna puniatur, ex quo semper agitur de privatione bonorum, quæ in secunda, & tertia vice crescit; *Ricciul. tract. de personis in statu reprobo versant. lib. 3. c. 16.*
- 26 Notandum tamen hoc procedere in terminis Concilii ad imponendas pœnas privationis bonorum, ut in eodem Concilio; nam si agatur de imponendis aliis pœnis jure communi impositis, prout Concilium ibidem permittit, ac propterea multos Episcopos imponere pœnam pecuniariam clericis concubinariis, notat *Garzias de Benef. p. xi. c. x. num. 188.*, ubi eos non laudat, & concordat *Barbosa in c. ut Clericorum nu. 8. de vita, & honest. cleric.*
- 27 Tunc an prærequirantur monitiones de forma, affirmativè respondit *Barbosa post Genovesem, & Riccium, in c. Sicut num. 6. de cohabitatione cleric. & mulierum, & in c. Si autem num. 3. eodem tit.*, quod etiam dum proceditur contra Clericum suspectum de incontinentia cum scandalo in populo adhuc trina prærequiratur monitio, ad effectum imponendi pœnam privationis Beneficii, ac propterea in c. *Tua nos de cohabit. cleric.*, dicitur, quod Clerico suspecto indicenda est canonica purgatio, & idè in monitionibus aponenda est pœna, ne excusabilis ullo modo sit negligentia; *Bellet. disquis. cleric. tit. de favore cleric. can. §. 4. n. 47.*, ubi num. 49., dum agitur de privatione Beneficii monitio debet esse personalis.
- 28 Ad effectum verò carcerandi Clericum concubinarium suspectum de fuga, non prærequiri eas monitiones, neque ex vi Concilii, neque juris communis, declara-

vit *Sac. Congregatio relata per Garziam p. xi. c. x. sub num. 186.*, & ita limitatur *cap. 14. Trid. cap. 6. ejusdem sess., Barbosa in c. Sicut num. 6. in fine de Vita, & hon. cleric.*

- 29 Secundus casus, in quo prærequiruntur monitiones ad effectum puniendi Clericum negligentem parere monitionibus, est, si Clericus exerceat artem Macellariorum, vel Tabernariorum, ut in eadem *Clem. 1. habetur de Vita, & hostat. Cleric.*, nam si Clericus eas artes exercens monitus non desistat, privatur clericali privilegio, *Bellet. disquis. cleric. p. 1. tit. de disciplina clericali §. 21. num. 38.*, & quod etiam in hoc casu requirantur tres monitiones. Notavit *Clar. §. fin. q. 31. num. 22.*, & post eum *Barbos. in dicta Clem. 1. num. 12.*
- 30 Tertius casus, quo prærequiruntur monitiones ad effectum constituendi Clericū in negligentia, & contumacia ad effectum imponendi pœnam privativam, est in *cap. ex litteris de Vita, & honest. cleric.*, ubi quod clericus negotiator, si ter monitus à negotiatione non desistat, privatur privilegio Clericali, & subiicitur Judici laico, *Barbosa in eodem c. ex litteris num. 4.*, *Grass. de effect. clericatus effect. primo num. 844.*, *Bellet. disquis. cleric. tit. de disciplina clericali §. 33.*, *Farinac fragm. Criminali V. Clericus a num. 169.*, & seqq.
- 31 Quartus casus, quo per monitiones Clericus fit negligens ad effectum punitionis est, si Clericus exerceat artem Histrionis mimi, vel Jaculatoris, qui si tertio monitus non rescipiscat, caret privilegio clericali, c. primo, & secundo. *Ne Clerici, vel Monachi Secular. negotiis se immisceant*, *Bellet. disquis. Cleric. tit. de Disciplin. cleric. §. 25.*, c. unico de Vita, & honest. cleric. in 6., c. Clerici il 2. de vita, & honest. Clericorum, ubi *Barbosa post gloss. num. 15.*, notat, quod ad effectum inhabilitatis pro obtinendo beneficio, nulla requiratur monitio, quò verò ad privationem beneficiorum obtentorum, monitio requiratur, ratio autem esse potest, quia ad obtinendum beneficium agitur de lucro captando, ad perdendum verò, agitur de damno vitando, & intrat illud turpius eicitur, quam non admittitur hospes.
- 32 Clericus habens beneficium pingue, ex cujus redditibus, non solum habet victum, & vestitum, juxta illud *Pauli, habentes alimen-*

alimenta, & quibus tegamur contenti sumus, sed pars superfluit, tenetur in pauperum usus erogare, non solum, si pauperes sint in extrema, vel gravi necessitate, sed etiam communi, ad quod Laici non sic tenentur, ut Clerici, juxta tradita per *Sanchez. opuscul. tom. 1. lib. 2. c. 2. dub. 39. num. 4.*, & 5., quare omisso, & negligentia imputabitur clericis ad culpam: *Capisich.*

- 33 Nobilis Viator summo mane iter facturus petiit sibi Missam celebrari, & peracto Sacrificio per suam familiarem misit Sacerdoti cartulam, in qua eleemosinam dixit inclusam, sed loco eleemosinæ ordinariæ, vel speratæ, invenit Sacerdos duas duplas aureas, & dubitare cepit, an per errorem, an ex Viatoris liberalitate fuerint datae, & an potuerit eas sibi retinere nulla alia facta diligentia; & solutio fuit, quod si Viator abierit, itaut ab eo, vel eius familiari requiret inquiri de eius voluntate, ignoraretur etiam quis esset, quo abierit, itaut neque per litteras possit inquiri, tunc non teneretur ad aliud, ex quo impossibile esset invenire, & ad impossibile nemo tenetur; sed poterat duplas tuta conscientia retinere, animi tamen dispositione parata diligentius requirendi, si possibile id apparet; & si consumpsisset, restituendi in quo factus esset ditior, si per errorem datum novisset, ad tradita per *Dianam p. 4. tract. 3. resol. 1. num. 25.*, *Bonacinam de restit. in genere d. 1. q. 2. p. 2. num. 2. 4. 6.*, *Sylvester V. Restitutio 3.*, *Rebell. de oblig. justitiæ p. 1. lib. 2. q. 5. num. 11.*, *Sanchez summa tom. 1. lib. 2. c. 23. 186.*, *Lessus lib. 3. c. 14. dub. 4. num. 23.*, ea ratione, quia in dubio melior

est conditio possidentis. Sed quod magis facit ad nostram institutionem est, si Sacerdos potuit à principio facere prædictas diligentias, & neglexit, vel ex inadvertentia, vel lucri amore, postmodum angatur scrupulis, an propter negligentiam præhabitam incidat in pœnam, ut nequeat duplas retinere, si nequeat de mente dantis nunc investigare, sed saltem teneatur pauperibus distribuere, quod eleemosinam consuetam superexcedit, & teneri distribuere, respondit *Sanchez summa lib. 2. c. 23. n. 183.*, *Molina de Justitia tom. 1. disp. 36. concl. 1.*, *Alfonsus de Leone de potestate Confessarii p. 1. recolect. 15. num. 76.*, alique relati à *Diana p. 4. tract. 3. resol. 29.*, quia considerant negligentiam Sacerdotis fuisse culpabilem, & nemo ex suo delicto debet commodum reportare. Verum ipse *Diana* satis probabilem existimat sententiam *Bonacinae de contract. d. 1. q. 2. punct. 2. nu. 8.*, cum *Castropalao tom. 1. disp. 3. pu. 2. num. 9.*, Sacerdotem posse sibi integrum eleemosinam, seu duas duplas retinere, quas cepit retinere bonafide, & licet supervenerit dubium, tamen intrat regula, quod *in dubio melior sit conditio possidentis*, & licet negligentia fuerit in eo culpabilis, tamen adhuc in dubio reg. favet possessori ad allegata per *Azor. instit. morl. p. 3. lib. 5. c. 18. q. 1. Vers. gloss. verò*; Tum quia adhuc potest præsumere, quod nobilis ille Viator ultrò, & scienter dederit pinguem illam eleemosinam generosæ pietatis gratia; quæ præsumptio roboratur ex eo, quod famulus illius Viri, non redierit ad repetendum datum allegando errorem.

De Negligentia Concionatorum.

SUMMARI A.

- 1 Officium Concionatorum præ cæteris dignissimum est.
- 2 Negligens est Concionator, si negligat potius exemplo, quam verbis prædicare.
- 3 Vita, & morum Sanctitas est quoddam genus prædicandi, nec debet Concionator ipse opere implere, quæ damnat.
- 4 Negligens est Concionator, si non querat quæ apta sunt ad suadendum, considerata populi circumstantia.
- 5 Affertur intelligentia tex. Mathei cap. 10., quando Christus Dominus dixit Apostolis. Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini.

- 6 Negligens erit Concionator, si ommissis Sacrae Scripturae Oraculis, ad fabulas convertatur.
 7 Opportunè concionando obstinata peccatorum corrueat malitia.
 8 Non debet ommittere prædicationem, eo quia pau-

ci sint Auditores.

- 9 Neque debet ommittere, licet fructum non speret.
 10 Aliqui Prædicatores ambitiosè Concionantes in magna populorum frequentia, minus plerunque proficiunt.

ARTICULUS IX.

De Negligentia Concionatorum.

- 1 **C**oncionatoris officium præ cæteris dignissimum est, quod Christus Dominus exercuit docendo, & exercuerunt Apostoli per Univerſum missi à Christo Domino *Marci c. 16.*, quibus præcepit, *euntes per Univerſum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ*; cuius officii nobilitas in lucis comparatione clarescit, dum Christus, & de se dixit, *ego sum lux mundi, & vos estis lux mundi*, de Apostolis Evangelicam veritatem prædicantibus expressit, quia doctrinæ splendore, & clara veritatis explicatione altissima fidei mysteria clarescunt; Mentis audientium illustrantur, & expulsis ignorantiae tenebris, cœlestia intelligunt, claram assequuntur veritatem.
- 2 In pluribus tamen possunt negligentia culpari, primò enim, & principaliter, si negligant potiùs exemplo, quam lingua prædicare, nam si animarum profectum cupit Concionator, & fideles docere iter ad Deum, potiùs exemplo, quam verbo consequi potest, nam per exemplum breve, & efficax iter virtutis ostenditur ad allegata *per Felin. in c. Inter cætera de off. ordin.*
- 3 Idèò *Trid. sess. 25. c. 1. de reform.* ait, quod facta, & vitæ actiones sunt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, & certò efficacius movent exempla, quam verba, Christus enim cæpit facere, & docere, & sic priùs facere, deinde docere, quomodo enim poterit suadere servare castitatem, si ipse luxuria coinquinetur? quomodo ad liberalitatem, & eleemosinam pauperibus retribuendam, si ipse affectu anxio avaritiæ lucra sectetur? quomodo ad orandum mente, & corde fidelium elevabit corda, si ipse ludis, otio, somno tabescat? quomodo ad Jejunium inclinabit audientium

animos, si ipse epularum copiam, & ingluviem frequentius appetat? ait enim *D. Gregor.*, quod si Concionator ita vivat, aut vivere diffamatus sit, ut eius vita despiciatur, eius etiam prædicatione contemnitur *lib. 1. hom. 11. in Evangel.* hinc carmina, Quæ culpæ soles, ea tu ne feceris ipse, Turpe est Doctore, cum culpa redarguit ipsum.

Praxis enim docuit, quod homines plus credunt oculis, quam auribus, & validior est operis, quam oris vox, & *D. Bernardus*, ac *Bonaventura* concordēs dicere solebant, quod nemo debet suscipere officium, ut alios bonos faciat, qui priùs bonitatis disciplinam in seipso exercitatione non didicerit, non enim ex foliorum ornatu arbor bona cognoscitur, sed ex fructibus.

4 Negligentiæ etiam nota culpabitur Concionator, si non didicerit, non studuerit, non quæserit, quæ apta sunt ad persuadendum, nec attentius disposuerit priùs, quam ascenderit pergamum, aliàs si temere præsumpserit sibi ex improvise per Spiritum Sanctum suppeditari argumenta, scripturas, rationes, ad argumentum assumendum facientes, hoc erit tentare Deum.

5 Et licet *Jesus* dixerit Apostolis, *nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis; Mathei c. 10. Vers. 19.*, quem textum audivi allatum ad id à quodam insipiente; Tamen si benè perpenderit textum, quicumque adèò præsumpserit, non loquitur de Apostolis, quando erant annuntiaturi Evangelium populis, sed quando ad præfides, & ad Reges ducerentur per Christum, tunc promittit Christus dominus specialem gratiam Spiritus

tus

- tus Sancti, qua respondeant interrogatis, & objectis; Quando autem misit ad populos præcepit, *docete, prædicate Evangelium, renuntiate, quæ audistis, & vidistis, & ex eo prædicantes Apostoli dicebant, cuius nos testes summus, qui manducavimus, & bibimus cum eo.*
- 6 Ex tertio capite poterunt negligentia notari Concionatores, si ommissis Sacrae Scripturae oraculis, ad fabulas convertantur, ad inutiles disputationes, genealogias, & alia inania, vaniloquia, ut vel intellectus subtilitatem ostentent, vel memoriæ virtutem exerceant, quæ omnia devitanda pluries præcepit, *Paulus Apostolus scribendo ad Timoteum, & Titum.*
- 7 Concionator est Verbi Dei Buccinator, si autem opportuno tempore insonverit bucina, ac veritatē aperverit Scripturarum, Muri Jericho corruent, ut mysticè contigit *Josue cap. 6.*, idest obstinata peccatorum resistentiæ corruet culpa, & malæ conscientia delebitur Civitas, diabolicis alioquin munita præfidiis.
- 8 Negligunt aliqui, & dedignantur, ubi pauci sunt auditores, vel pauperibus, & rusticis Concionari, non advertentes, quod Christus Dominus summus Concionator,

& omnium Concionatorum magister, soli Samaritanæ concionem habere, non dignatus est, & Joanni per Discipulos seiscitanti, *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* ut indicaret se esse Messiam ait, *renuntiate Joanni Pauperes evangelizantur*, quo discipulos, & totius Ecclesiæ Concionatores edoceret, quod verè salutis minister, & qui Apostolicum munus implere cupit, Evangelizare pauperibus non erubescat.

9 Neque debet negligere Verbum Dei, ex quo se infructuosè existimet laborare, quia non Concionatori imponitur onus convertendi, multum fructum reportandi, sed solum docendi, sic Apostolis præcepit Christus, *euntes in Univerſum Mundum, docete omnes gentes &c.*, non dicit *convertite*, quia conversio Divinæ Virtutis reservatur, prædicatione verò, quasi Verbi divini disseminatio Apostolis, & cæteris Sacris Concionatoribus demandata est.

10 Immo attentius aliqui prudentiores considerant, quod Concionatores, qui in magna populi frequentia ambitiosè concipantibus buccis Verba jactant, minus plerunque proficiunt.

Articulus de Creditorum Negligentia.

SUMMARI A.

- 1 **C**reditor, non debet statim cum sacco venire.
 2 Negligens est si recusset acceptare rem sibi debitam, & oblatam.
 3 Sicuti, si post capta pignora omittat ea subastari, quo casu, si fiant deteriora cedit damno Creditoris.
 4 Culpatur negligentia, si post vendita pignora pretium, non exigat de manu executoris, qui fugiat, cedit pariter damno negligentis.
 5 Negligens agere opportuno tempore contra debitorem, non poterit agere contra fidejussorem.
 6 Intelligi, si negligentia sit magna, & dolosa, & si fidejussor interpellaverat opportunè Creditorem, ut exigeret à debitore.
 7 Quod non habet locum, ubi fidejussor est obligatus principaliter, & in solidum.
 8 Scriptura pronuntiata pro recognita unico decreto debitor purgat moram, secus si pluribus decretis, quia multiplex est mora, & facta impurgabilis.
 9 Creditor, qui gerit negotia sui debitoris, & ex ejus bonis possit sibi satisfieri, & negligat, non potest petere lucrum cessans.
 10 Creditor, habens plures obligatos in solidum, & negligat exigere in solidum, sed tantum pro virili, sibi præjudicat.
 11 Creditor anterior negligens exigere, ita ut posterior diligentius prior exigat, non revocat exacta à posteriore, quod limita in debitore decocto, & in Creditore privilegiato.

V 2

12 Li-